

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0180

0178

0184

0174

0189

0169

0229

0129

0279

0079

0679

Ende

Anfang

169

emitte agnum, Domine, dominatorem terrae de Petra deserti ad montem filiae Syon, i. e. ad Jerusalem. Ubi petit propheta continuationem genealogiae per puellam natam de petra deserti. Ideo in libro generationis Christi Ruth manifeste nominatur. Unde Jeronymus in epistola ad Paulinum dixit: Ruth Moabitis Esaiac explet vaticinium: emitte agnum etc. Et idem in Epistola ad Paullam dicit: Ruth alienigena, ex cuius semine Christus oritur. Et in epistola ad Fur. Ruth inducit de gentilitate assumtam in Christi propitiationem. Sed praetermisso mystico illo sensu possumus dicere, quod propheta cernens civitatem Jerusalem in angustia positam et in gentium dentibus, petit emitti dominatorem de Petra deserti, quia est castrum inexpugnabile et multae gentes castellano ejus erant subjectae. Et sic petit, quod dominus Petrac deserti mittatur in defensionem filiae Syon, quae est Jerusalem, quo misso nemo Jerusalem molestare praesumeret. Hoc castrum Balduinus, II. rex Jerusalem de Latinis, adeo munivit, quod totus mundus eum capere non potuisset, nam tribus muris eum circundedit: intra primum murum consurgit rupes altissima, rotunda, in cuius supercilio aedificia longe spectantia eminent, et sub rupe de pede rupis tres fontes vivi, clari et sani erumpunt, quibus ipsum castrum copiose adaquatur, et tota terra subjaciens irrigatur. Intra secundum murum sunt vineae speciosae, in quibus copiose vinum crescebat. Inter tertium sunt agri et horti, in quibus frumentum, oleum et alia necessaria in magna crescabant copia. Hoc insigne castrum numquam cepissent Saraceni, si non fuisset dolose eis traditum a quibusdam falsis Christianis. Capto autem eo Soldanus tunc existens filium suum primogenitum posuit ibi castellanum et Petrac deserti dominum, et omnes thesauros suos in eo recondidit tamquam in loco tutissimo, et hodie est camera thesaurorum Soldanorum regum Aegypti.

Hoc nobile castrum Latini nominant Petram deserti, Saraceni Krach, et Graeci Schabat. Cum ergo satiati visione loci essemus, contra locum genufleximus, laudantes Deum, qui de Petra (B) deserti in Ruth misit nobis Christum, dominatorem terrae, Deumque deprecati sumus, ut hoc castrum ad

